Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26487
Copyright: Admont, Benediktinerstift

de monte effraym. & peregrinus habitabat in
gabaa. quia uetus homo. uetusta inquam car-
nalitas hominis de monte effraym. de fru
gifero monte uirtutum. semper ad ima tendit
uicio. Unde propheta effraym inquit factus est
sub cinericius panis qui non reuersatur. Et item.
Effraym educit ad interfectorem filios suos.
Sed unde ei tale infortunium. nisi eo quod peregrinus
ab amore dei. a desidio uite celestis siue
uirtutum in gabaa in antiqua cordis sui (habitat)
delectando presumptione & superbia. Homi
nes autem regionis illius filii erant gemini.
Sensus hominis filii gemini quod interpretatur
dextera mea quodammodo fiunt. quando eum non
in deo. sed in propria sui uirtute confidentem faciunt.
Eleuatisque oculis uidit senex sedentem ho
minem cum sarcinulis suis. in platea ciuitatis.
Hoc in loco ut ait psalmista. nox nocti in
dicat scientiam. Spiritus enim errauerat. caro oc
currit. cernensque eundem spiritum sedentem in
ignobilitate sui. & sarcinulis. i. innumera
bilibus malis cogitationibus oppressum. dicit ad
eum. Unde uenis. aut quo uadis. Quasi
dicat. de celsitudine intellectus uenis. et
ad corruptionem uadis. Qui respondit.
et quasi periculum ex hoc sibi imminere futurum
presciens. nec tamen declinare uolens dicit.